

## CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Promittit Deus Judæis e Babylone reversis in Jerusalem, ob diligentiam et laborem impensum in templi fabricam, letam et longævam sobolem, frugum copiam, suamque benedictionem, si iustitiam, veritatem et charitatem colant. Deinde, vers. 19, quæstioni cap. VII a Judæis proposita, an scilicet adhuc servanda sint jejunia ob urbis tempisque excidium indicta, respondet, ea commutanda esse in lata festa et convivia, ac deinceps Jerusalem fore hilarem, felicem et celebrem, adeo ut uniusque ad eam confluent populi et gentes. Quæ omnia ad litteram aliquatenus contigerunt Hierosolyma post reditum edificato templo, ut ait Propheta, vers. 9. Sed longe verius et plenius competunt Ecclesie per Hierosolymam adumbrata, ubique inchoata, cum Deo auctore lex in Evangelium, Moses in Christum, Synagoga in Ecclesiam transit. Describitur hæc ergo felicitas Hierosolyma, ut in ea quasi typo adumbretur felicitas Ecclesie christianæ: unda quedam dicuntur, quæ Hierosolyma vix, et non nisi tenuiter, Ecclesie vero plane pleneque conveniunt. Tale est illud vers. 7: Salvabo populum meum de terra Orientis et de terra Occasus solis. Et vers. 22: Venient populi multi, et gentes robustæ ad querendum Dominum exercituum in Jerusalem. Et vers. 23: Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibiinus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. Quæ verba significant omnium gentium conversionem ad Christum et Ecclesiam; vide Canon. V et VI, quos præfati Prophetæ Majoribus. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Haymo, Remigius, Hugo, Lyranus et alii: imo Rupertus, Arias et Vatablus ad litteram putant hæc depongi felicitatem Ecclesie, non Hierosolymæ. Quin et Rabbinii bona hæc capite promissa, non nisi a suo Messia, quem ipsi præstolantur, expectant (1).*

1. Et factum est verbum Domini exercituum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. 3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem: et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum mons sanctificatus. 4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem: et viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum. 5. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, et puellis ludentibus in plateis ejus. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum? 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis et de terra Occasus solis. 8. Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et in iustitia. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestra, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum edificaretur. 10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat; neque introeunt, neque exeunt erit pax præ tribulatione: et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. 11. Nunc autem non juxta dies priores

(1) Continatur argumentum precedentis capitis et sermo Dei ceptus, cujus occasio fuerat questio Judæorum de jejuniis, cap. VII, §. coll. vers. 19 hujus capitis.

Præter ergo, promissio fit absolutæ Hierosolymæ spirituali, post litteralis castigationem, 1, 2: primo, de assistentia Dei perpetua, et veritatis ac sanctitatis dono, 3; secundo, de fidelium sapientia, innocentia et tranquillitate infallibiliter futuris, 4-6; tertio, de amplitudine Ecclesie et perfecto Dei fœdere, 7, 8.

Secundo, promissio conditionalis Hierosolymæ litteralis facta, cum exhortatione ad continuandum fabricæ

opos, 9: promittitur igitur conversio, primo, precedentis sterilitatis, afflictionis et violentia in pacem, quietem et abundantiam fructuum, 10-12; secundo, maledictionis et ignominie pristinae in benedictionem et gloriam, 13; tertio, vindictæ et immiserationi a Deo paratorum in beneficia, 14, 15.

Exiguntur vero pro his promissis obtinendis sequentes conditiones, primo, sinceritas in actionibus, iustitia in iudiciis, 16; secundo, exclusio pravæ machinationum et perjuriorum, 17.

Tertio, promissio, mixta, scilicet primo, hypothetica

ego faciam reliquis populi hujus, dicit Dominus exercituum; 12. sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cæli dabunt rorem suum: et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. 13. Et erit: sicut eratis maledictio in Gentibus, domus Juda, et domus Israel: sic salvabo vos, et eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestra. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassetis patres vestri me, dicit Dominus, 15. et non sum misertus: sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam domui Juda et Jerusalem: nolite timere. 16. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris. 17. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. 18. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: 19. Hæc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, et jejuniium quinti, et jejuniium septimi, et jejuniium decimi erit domui Juda in gaudium, et lætitiâ, et in solemnitate præclaras: veritatem tantum, et pacem diligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum: Usquequo veniant populi, et habitent in civitatibus multis, 21. et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, et deprecemur faciem Domini, et queramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. 22. Et venient populi multi, et gentes robustæ ad querendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibiinus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

Vers. 2.

(1) 2. ZELATUS SUM, — *g. d. Zelotypus sui et indignatus Hierosolymæ, puta Synagoga Judæorum, quod ipsa sponsa mea me sponsum adeo sui amantem dereliquerit, et ad idola confugerit, ut idcirco et ego ipsam tam indigne me spernentem, spernere et deserere coactus sim: quo factum est, ut ipsa in Chaldeorum manus incidit, ab isque per septuaginta annos quasi ancilla captiva, spoliata et misere tractata sit. Ita Theodoretus, Remigius, Haymo, Lyranus et Vatablus. Verum quia ipsa hisce malis afflicta et erudita respuit, necumque in gratiam redire cupivit; hinc secundo, ego vicissim ex pristino meo in eam amore et zelo, eam in gratiam et thorum recipiam, habitabo cum ea in Jerusalem, hostesque ejus acriter persequar et puniam. Ita S. Hieronymus. Zelus enim est ingens amor rei amate, qui parit iram ingentem in eos qui rem amatam ledere, vel amanti eripere satagunt, ut dixi Sophonicæ, III, 8.*

Vers. 3.

3. ET VOCABITUR JERUSALEM CIVITAS VERITATIS, ET

Synagoga facta de conversione jejuniarum in gaudium, 18, 19; secundo, absolutæ Ecclesie facta, de multitudine fidelium, 20, de mutua populorum ad Dei cultum exercituum, 21; tertio, de plurimarum gentium ad veram fidem et Ecclesiam accessu, 22, 23.

(1) « Hæc dicit Dominus exercituum » singulis quibus promissa continentur sententias præmissa est hæc formula. Quæ dicitur hoc capite repetita inquit, inquit Ackermann post S. Hieronymum, certo eventura esse, quæ hic promittuntur, etsi fidem omnem magnitudine sua excederet.

MONS DOMINI. — « Veritatis, » primo, quia post reditum e Babylone, jugiter usque ad Christum viguit in ea vera Dei cognitio, vera fides, vera religio, verus Dei cultus. Ita Hugo et Lyranus. Secundo, « veritatis, » hebraice אמת אמת, id est stabilitatis, constantia, fidelitatis, ut fidem mihi datam deinceps non sit violatura, sed constanter mihi quasi sponso et Deo suo adhesura, nec amplius ad idola deduxura, ut reipsa post reditum e Babylone ad ea nunquam deflexit. Unde Syrus vertit: *Vocabitur Jerusalem civitas sancta. Sic et Arabicis.*

Allegorie, Synagoga fuit typus Ecclesie, quæ est « columna et firmamentum veritatis, » 1 Timoth. III, 13, quia ejus magister est Christus, qui est via, veritas et vita; ac Spiritus Sanctus, qui est Spiritus veritatis, utpote ab æterna sapientia et veritate, quæ est Verbum Patris, procedens, ideoque docens omnem veritatem, tum fidei et religionis, tum morum: utramque enim docuerunt Christus et Apostoli recepto Spiritu Sancto in Pentecoste in Jerusalem, ac deinde in toto orbe, juxta illud Isaie, II, 3: « De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Ita Theodoretus et Rupertus.

MONS DOMINI EXERCITUM. — Syrus et Arabicus, mons Domini fortis, utpote quem stipant tot exercitus angelici. Alludit ad Isaie, II, 3: « Ibi sunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. » Mons hic est Sion et Moria, in quo ædifi-



catum est templum, qui fuit typus Ecclesie. Hinc vocatur « mons sanctificatus, » primo, sacrificio Abraham: quia in eo Abraham iussus est immolare Isaac, *Genes.* cap. xii, 14, in signum quod in eodem (Calvarie enim mons, in quo crucifixus est Christus, est pars, sive jugum montis Moria) immolandum esset Christus; qui deinde ibidem reipsa crucifixus, hac sui immolatione summe hunc montem sanctificavit. *Secundo*, quia in eo erexit Salomon templum, illudque Deo sanctificavit et consecravit. Rursum Deus in eo celebravit sanctis sacrificiis, caeremoniis, psalmis, laudibus, votis, precibus, etc. Denique in eodem Christus cepit congregare, docere et instituire suam Ecclesiam, quam sua doctrina, gratia, meritis, sacramentis sanctificavit.

**Vers. 4.** 4. ADHUC HABITABUNT SENES.—Prædicat deinceps Jerusalem fore pacatam et felicem, ut abundet civibus omnis ætatis et sexus, pueris et puellis ludentibus in plateis, iisque prorogent vitam ad senium, et sint longævi: idque ita contigisse patet II Machab. III, 1. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Lyranus.

Allegorice, significatur Ecclesie et fidelium pax, multitudo et longævitas, quas prædixit Isaias cap. II, 4: « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. » Et cap. LXV, 20: « Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos. » Vide ibi dicta.

Et VIRI BACULUS.—Ita Romana, significatur virorum in Jerusalem et Ecclesia longævitas, adeo ut quisque in ea senex habeat baculum, cui præ senio imitatur, sive is sit stipes, sive famulus aut filius, uti parenti seni apud Romanos fuit Scipio (ei enim imitabatur parens quasi baculo) a quo nobilis Scipionum familia originem et nomen traxit. Sensus est, q. d. Tanta erit Hierosolymæ civium sanitas et prosperitas, ut senes et maximi sint et plurimi, quorum consilio republica sapienter et feliciter gubernetur. In senibus enim est experientia et prudentia: unde ex senibus olim lectus et dictus est senatus. Nota hebraismus, quo vir ponitur pro unoquoque, q. d. « Viri, » id est cujusque senis, « baculus erit in manu ejus, » quo significat, non unum alterumque, sed plurimos fore senes. Ita Sanchez.

**Vers. 7.** 7. DE TERRA ORIENTIS ET DE TERRA OCCASUS.—Sub his duabus præcipuis mundi plagis, quatuor intelligi, puta sub Oriente meridiem, sub Occasu septentrionem, q. d. Quocumque Judæi fuerint dispersi per captivitatem Babylonicam, inde salvabo eos et reducam in Jerusalem. Nec dubium est quin, licet ipsi directe in Chaldaeam, quæ Judææ est ad aquilonem, sint abducti, inde tamen multi ad alia regna Orientalia et Occidentalia migraverint. Rursum alios, adventantibus in Judæam Chaldaeis, profugisse ad Ammonitas, Moabitas,

Idumæos, Syros, etc., patet ex Isaiâ, cap. xvi, 4. Hi ergo audito reditu suorum e Babylone in Jerusalem, ejusque et templi reedificatione, æque ac incolarum prosperitate et felicitate, eo propere redierunt. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus et alii.

Allegorice et potius, significatur gentium omnium ex cunctis mundi plagis confusus ad Christum et Ecclesiam, juxta illud *Isaiæ*, XLIX, 12: « Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi; » hebraice, *de terra Sinitim*, id est Sinarum. Et cap. LXVI, 19: « Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, et Lydian, tendentes sagittam: in Italiam et Græciam, ad insulas longe. » Hoc est quod ait Christus *Matth.* VIII, 11: « Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno caelorum. » Et cap. XXIV, 31: « Mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. » Ita S. Hieronymus.

**DEUM ET ERUNT MIHI IN POPULUM, ET EGO ERO EIS IN DEUM ET IN VERITATE ET IN JUSTITIA.** — Ut scilicet ipsi colant me vera fide et constanti fidelitate, æque ac justis sanctisque moribus; ego vicissim vestro, id est fideliter et juste, præstem eis curam, custodiam, pacem et prosperitatem quam promisi. Hoc verum fuit in Judæis, verius est in Christianis. Ita Vatablus et Arias, qui recte « in veritate et in justitia, tam ad Deum quam ad populum cum Deo paciscentem referunt. In pacto enim uterque paciscens alteri fidem suam obligat, eamque vere et juste præstare debet.

**9. CONFORTENTUR MANUS VESTRÆ.** — tum ut inchoatum templi fabricam, uti sequitur, perficiatis; tum ut leges et jussa Dei fortiter resistendo difficultatibus, tentationibus et hostibus, præsertim vicinis Gentilibus, adimpleatis.

**10. SIQUIDEM ANTE DIES ILLOS MERCES HOMINUM NON ERAT.** — Hortatur Judæos ad strenue prosequendam fabricam templi, proponendo eis præteritam sterilitatis plagam, eia a Deo inflictam ob fabricæ neglectum, et presentem fertilitatem ob ejusdem curam et studium. *Mercedem* vocat fructum et lucrum operæ, q. d. Antequam manum admoveatis edificationi templi, intendebatis fabricæ domorum, ac cultura agrorum et jumentorum vestrorum; sed merces, id est fructus et messis, non respondebat labori vestro, et jumentorum vestrorum: tam enim agri, villæ, pascua et vineæ, quam jumenta post omnem culturam, laborem et saginam manebant sterilia, paucosque dabant segetes, uvas, fetus et animalium sobolem. Ita S. Cyrillus.

**NEQUE ERAT PAX.** — q. d. Undequaque Samaritæ, Moabitæ, aliique vicini hostes vos impetebant et infestabant. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

**DIMISI OMNES HOMINES.** — q. d. Permissi non tantum foris prælia, ut iis vos vicini divexarent; sed

et intus seditiones, ut quisque contra proximum insurgeret.

**Vers. 11 et 12.** NUNC AUTEM (cum domus meæ fabricam cura et cordi habebis) SEMEN PACIS ERIT. — *Primo*, q. d. Fruges copiosæ et securæ vobis proveniant, quales solent tempore pacis, cum optime coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediât, aut messem auferat. Ita Vatablus et a Castro. Unde Septuaginta vertunt: *Monstrabo pacem*, adeo ut non tantum homines, sed et elementa vobis pacifica sint, imo in vestrum bonum et alimoniam conspirent. Nam, ut sequitur: « Vineæ dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt rorem suum. » *Secundo*, per catachresin *pacis*, id est abundantie, fertilitatis et prosperitatis. Horum enim, imo honorum omnium causa, æque ac symbolum est pax, juxta illud *Psalm.* CXXI, 7: « Fiat pax in virtute tua, et abundantia (quæ ex pace consequi solet) in turribus tuis, » q. d. Faciam semen vestrum fertile, ut abundantes producat spicas et fruges. *Tertio*, alii sic exponunt: *Semen erit pacis*, id est benedictionis, q. d. Benedicam seminibus vestris. Pax enim est magna benedictio, et majorem secum adducit. Unde Christus et Apostoli hæc salutatione ex ritu Hebræorum uti solent: « Pax vobis: » qua phrasi omnem benedictionem præparent. *Quarto*, alii vertunt: *Semen erit in pacem*, id est pacifico conservabitur, crescet et maturecet, q. d. In pace, id est integras et illæsas ab aragine omnique aeris vitio, æque ac ab hoste servabo fruges vestras, tam tempore sementis ac deinceps, quam messis. *Quinto*, hebræum *סלול* *scalam*, id est pax, significat quoque integrum, perfectum. Unde Chaldaeus et Tigurina vertunt: *Semen plenum et perfectum erit*, tum in se, tum consequenter in specie et granis, quæ ex se plena perfectaque progeminabit. Omnes hæc expositiones eodem redeunt: primæ tamen duæ magis sunt genuinæ et conformes phrasi hebrææ. Hæc ad litteram contigerunt Judæis Babylone redeuntibus; sed spiritaliter magis conveniunt christianis ex infidelitate, vel peccato ad Ecclesiam et Deum revertentibus, eique mysticum in anima sua templum ædificantibus. His enim Deus facit ut omne semen eorum sit pacis, id est ut omnia quæ aggrediuntur et moluntur prospere cedant, ac feliciter et fertilliter proveniant, indeque fructus, præsertim spirituales virtutum, tum in seipsis, tum in proximis colligant. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Lyranus.

**Dices:** Hoc semen et benedictionem vers. 13 promittit non tantum Judæ, sed et Israeli: Israeli autem hoc ad litteram non obvenit, utpote qui e captivitate Assyriaca non rediit. Ergo Israel et Juda hic non carnalis, sed spiritualis intelligitur, puta populus fidelis. Ob hoc argumentum Judæi censent hæc necdum impleta esse, sed ea implenda a suo Messia quem expectant. Verum respondeo Israelis hic fieri mentionem, quia

multi ex Israelitis, veræ et avite fidei et religionis sectatores, transierant ad Judam, cum eoque in Babylonem abducti, cum eo pariter redierunt, ac proinde pacis et felicitatis illi hic promissæ fuere participes, utpote cum eo conspirantes, et in unam gentem coalescentes.

Moraliter, discite religionem et cultum Dei esse semen omnis felicitatis. Vidit hoc per umbram Cicero: nam lib. II *De Natura deorum*, Romanorum felicitatem, imperium et triumphos religioni attribuit: « Si, ait, conferre volumus nostra cum externis, cæteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est cultu deorum, multo superiores. » Et mox: « Apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam seipsos diis immortalibus, capite velato verbis conceptis pro republica devoverint. » Idem, orat. in *P. Clodium*, quæ numero est trigesima: « Quis, ait, est tam veccus, qui, etc., non intelligat eorum (deorum) numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum, et retentum? Licet ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico navioque sensu illos ipsos ac Latinos; sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique persumpimus, omnes gentes nationesque superavimus. » Vide dicta *Aggæ*, I, 6, ubi ipse idem argumentum tractat, quod hic Zacharias, utpote illi cœvus, et adjutor a Deo datus ad promovendam templi fabricam, ut patet I *Esdæ* v, 1. Præclare S. Cyprianus, tractat. *De Orat. Domini*: « Cum Dei, inquit, sint omnia, habenti Deum nihil derit, si Deo ipse non desit. » Quare idem recte alibi monet, ut cor non medium, non divisum, sed totum demus Deo, cujus est, et qui illud totum reposcit, solusque illud implet et satiat: « Sufficiens, inquit, o anima, Deo; sufficiat et tibi Deus tuus. » Nam, ut ait S. Augustinus in *Soliloquiis*, cap. xix: « Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. »

**13. ET ERIT: SICUT ERATIS MALEDICTIO IN GENTI- BUS, etc., SIC SALVABO VOS, ET ERITIS BENEDICTIO.** — « Maledictio, » id est valde maledicti; « benedictio, » id est valde benedicti. Ita Chaldaeus et Septuaginta qui vertunt: *Sicut eratis in maledictione, sic eritis in benedictione*, q. d. Sicut omnes gentes apud quas captivi exulastis vobis maledicebant, vosque subsannabant et execrabantur: ita vice versa cum viderint vos a me liberari, prosperari, locupletari, vobis benedicent, laudabunt et celebrabunt; *Secundo*, benedictio et maledictio, id est exemplum, parabola et formula benedictionis et maledictionis, quam omnes usurpant, cum alieni maledicere, vel benedicere vult, ut dicant: Fiat tibi sicut istis Judæis, ut scilicet sis maledictum, probrum et execratio Dei et hominum, sicut ipsi sunt; aut, sis bene-

Moraliter, religio est mater felicitatis.



dictio, id est cumulus honorum, laus et gloria tibi obveniat, ut scilicet Deus te cumulet bonis omnibus, uti cumulatit Judaeos, ideoque omnes te laudent, celebrent et glorificent. Ita Vatablus. Simili modo de iisdem ait Jeremias cap. xxiv, 9: « Dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terrae: in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad que eiec eos. » Et *Ezech.* xiv, 8: « Faciam eum in exemplum et in proverbium. »

**Vers. 16.** 16. VERITATEM ET JUDICIUM PACIS (id est pacificum, ut vertit Chaldaeus et Septuaginta, puta justum et æquum, de quo nemo jure conquiri possit) JUDICATE IN PORTIS VESTRIS. — id est in curiis, tribunalibus et judiciis, que vos, o Judaei, habetis et exercetis in portis urbium; *secundo*, pro pacis hebraice *שלום* *shalom*, quod verti potest integrum, perfectum, incorruptum, sincerum, ut dixi vers. 12, q. d. Ferte in judiciis sinceram sententiam sine acceptione personarum, ne sinatis vos corrumpi numeribus, nec judiciis ex favore, metu vel odio, sed recta ratione, et æquitate. In multis enim verum est illud Poetae: « Auro loquente, sermo omnis inanis est. Persuadet aurum quilibet, silens tamen. » *Tertio*, aliqui per *judicium pacis*, inquit Vatablus, intelligunt iudicium non obscurum, non captiosum, unde lites oriri solent, sed clarum et candidum, quod pacem et concordiam inter partes litigantes conciliat.

**Vers. 17.** 17. CONTRA AMICUM, — contra proximum; ita Septuaginta et Chaldaei; hic enim hebraice vocatur *רֵעָא*, id est socius, amicus; causam dedi *Levit.* xix, 18.

JURAMENTUM BENDAX SE DILIGATIS, — imo summe odianis et execrarentur: est iniosis; minus enim dicitur, sed plus intelligitur.

**Vers. 19.** 19. JEJUNIUM QUARTI, ET JEJUNIUM QUINTI, ET JEJUNIUM SEPTIMI, ET JEJUNIUM DECIMI (supple mensium, non dierum) ERIT DOMUI JUDA IN GAUDIUM. — Hic respondet questioni de jejuniis proposita a Judaeis cap. vii, 1, ait S. Hieronymus, Remigius et Haymo. Porro mensis Hebraeorum inchoantur et numerantur a nisan, id est martio; hic enim erat primus anni sacri mensis, ex decreto Dei, *Ezech.* xii, 2. Quartus ergo ab eo mensis erat tammus, qui partim junio, partim julio nostro respondet. Hujus die nona jejunabant Judaei, eo quod illo die a Chaldaeis profectus et interruptus esset murus Jerusalem, ut patet *Jerem.* lii, 6. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Quintus mensis erat Ab, qui respondet nostro partim julio, partim Augusto. Hujus die decima jejunabant Judaei, eo quod illo die a Chaldaeis combustum esset templum, ut patet *Jerem.* lii, 12. Septimus mensis era tisi, qui partim septembri, partim octobri respondet. Hujus die tertia jejunabant, eo quod illo die Godolias esset occisus ab Ismaele, *Jerem.* xli, 2. Decimus mensis erat tebet, qui partim de-

cembr, partim januarii respondet. Hujus decimo die jejunabant, quod eo die obsideri cepit Jerusalem a Chaldaeis, *IV Reg.* xxv, 1.

Querentibus ergo Judaeis an hic diebus, quibus ipsi ob cladem urbis populi et templi, hucusque luxerant et jejunaverant, jam restaurata urbe et templo adhuc lugere et jejunare debeant? respondet Deus: Nequaquam; se enim lectum in gaudium, merorem in letitiam, jejunia in festa et festiva convivia conversurum, eo quod urbi, templo et incolis sit benedicturus, bonisque omnibus cumulaturus (si tamen pacem cum proximis, et veritatem, id est fidelitatem cum Deo diligant et custodiant); sicut deinceps hilares et felices agant menses et annos, adeoque illis diebus, quibus paulo ante ob eversam urbem et templum lugere et jejunare solebant, jam conversa rerum vice celebrent solemnia festa et convivia; perinde ac fecerunt Judaei liberati et exaltati ab Esther, celebrantes dies Purim, id est sortium, per solemnes epulas et munera, *Esther.* ix, 19. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus et alii.

Nota: Erant et alia aliis de causis in mensibus jam nominatis indicta apud Hebraeos jejunia. Nam quarti mensis die 17 jejunabant, quod eo die Moses descendens a Sina, videns populum adorantem vitulum aureum, confregerit tabulas lapideas, quibus Deus digito suo Decalogum inscripserat, *Ezech.* xxxii, 19. Jejunabant et mense quinto die primo, quod eo mortuus sit Aaron, frater Moysi, et primus Hebraeorum a Deo constitutus pontifex, *Numer.* xx, 28; item die nono, quod eo jussi essent a Deo Hebraei ob murmur exploratorum, per 40 annos peregrinari in deserto, ibique mori. Rursum mense septimo, die decimo erat jejunium expiationis sancitum a Deo, *Levit.* xxiii, 27. Insuper mense 10, die octavo, erat jejunium, quod illo die lex in Graecam versa sit a Septuaginta Interpretibus, tempore Ptolomei Philadelphii, et tenebrae occuparint totum mundum triduo. Haec omnia et plura habet Calendarium Hebraeorum, quod in latinum idioma transfuit Genebrardus, et suis in *Psalmes* commentariis praefixit. Porro de his jejuniiis aboleendis hic non agitur, licet id aliqui putent, tum quia illa antiqua erant: hic autem agitur de novis et recentior institutis; tum quia quaedam ex illis sancita erant a Deo, ut jejunium in die expiationis, *Levit.* xxiii, 27: non est autem verisimile ea hic a Deo revocari et irritari; tum quia Judaei, cap. vii, 1, tantum querebant an jejunia mensis quarto et quinto instituta ob excidium urbis et templi, adhuc servanda essent restaurata jam urbe et templo? quibus respondet Deus non esse servanda, sed mutanda in solemnitates laetas et conviviales; ergo non agit de jejuniiis aliis aliis de causis institutis. Illa enim hoc loco impertinentia sunt.

Mystice haec quatuor mensium jejunia Judaeis

a Synagoga praecipia, adumbrarunt jejunia quatuor temporum Christianis ab Ecclesia indicta, imo haec ad illorum non legem et obligationem (haec enim cessavit in adventu et lege Christi), sed continentiae et pietatis imitationem, vel exemplum esse instituta, docent S. Leo serm. 7 *De Jejunio septimi mensis*, ac S. Callistus epist. ad *Benedictum*. Cum enim Hebraei servarint stata quatuor temporum jejunia, æquum fuit ut similia observarent Christiani, qui Hebraeis debent esse perfectiores, ideoque alias, et alias ob causas ac fines sublimiores sancita: quorum *primus* est, ut his temporibus partim Deo supplicarem pro frugibus et fructibus terrae eo tempore nascentibus, partim ut pro iisdem jam natis et perceptis gratias ageremus. Nam in hisce quatuor temporibus aeris temperies maxime variatur, ac fructus omnes et fruges vel surunt, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Hanc rationem affert S. Leo serm. 3 et 8 *De Jejunio decimi mensis*. Quocirca haec jejunia cum gaudio et letitia celebrat Ecclesia, praesertim quia mox post ea sequuntur solemnitates praelare, puta tum festorum Paschatis, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Nativitatis Christi, etc.; tum aeternae in caelis, quas per haec jejunia promerentur fideles.

**Secunda.** *Secundus* est propter ordinationes sacerdotum aliorumque Ecclesiae ministrorum quae hisce quatuor temporibus fiunt, ut scilicet per jejunia et preces Deus invocetur ad assistendum et cooperandum episcopis, ut ab iis indigni rejiciantur, et soli digni ordinentur, itique per eadem jejunia ad recipiendum Spiritum Sanctum disponantur et preparantur. *Tertius*, ut per ea quatuor anni tempora, puta ver, aestatem, autumnum et hiemem, per quae haec jejunia distributa sunt, ac consequenter totum annum Deo in poenitentiam et pietatis obsequium offeramus. *Rursum*, ut singulis mensibus unum dieo per jejunium dieemus. Terni enim dies jejuniorum per quatuor anni tempora distributi universim efficiunt duodecim dies, quot sunt menses in anno. Ita Bellarminus lib. *De Bonis oper. in part. cap. xix.* Imo S. Leo, serm. 9 *De Jejunio septimi mensis*: « Ideo, ait, ipsa continentiae observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter divinis purificationibus indigere. » Idem, serm. 8 *De Jejunio decimi mensis*: « Hujus, inquit, observantia utilis in ecclesiasticis est praecipue constituta jejunii, quae ex doctrina Sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiae omnibus sit adscripta temporibus, siquidem jejunium vernum in Quadragesima, aëstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum esse praecipis. » Simili modo jejunamus Quadragesimam, ut decimas totius anni Deo per abstinentiam et poenitentiam dependamus. Divide

enim 360 dies quot sunt in anno, per decem, conficies dies 36, quibus per sex Quadragesimae hebdomadas jejunamus. H ergo 36 dies sunt quasi decimas dierum totius anni. Ita S. Gregorius homil. 26 in *Evangelio*.

**20.** USQUEQUO VENIANT POPULI. — Haec verba *Vers. 20.* pendenda praecedentibus, q. d. Luctus jejuniorum convertetur in laetas solemnitates, « usquequo, » id est adeo, vel in tantum, ut populi earum fama illecti, veniant et confluant ut eas videant, hisque se pascant et oblectent. Ita S. Hieronymus. Aut, q. d. Celebrabitis solemnitates laetas et praelaras, donec lectiores et praedicatoris celebretis, quod fiet cum venient populi, etc. Unde Septuaginta, Chaldaei, Pagninus et Tigurina vertunt: *Adhuc venient populi*, quia inchoet hic nova periodus, sitque nova majorque promissio.

Jam haec aliquo modo impleta sunt in Judaeis post reditum e Babylone, praesertim tempore Machabeorum, cum populi multi tum e variis Judaeae urbibus, tum ex vicinis gentibus videntes felicitatem, victorias et gloriam Hierosolymae et templi, se invicem cohortati sunt, ut eo properarent, illaque fruerentur. Tunc enim multos gentiles variis in locis suscepisse judaismum, et factos esse proselytos, liquet ex *Esther* cap. viii, 17, et iii *Esdræ* v, 50, et *Actor.* ii, 11, et cap. viii, 27. Longe tamen verius et plenius impleta sunt tempore Apostolorum, cum per eos gentes convertere ad Christum et Ecclesiam (quae est vera Jerusalem) turmatim undequaque cum gaudio et jubilo invicem se cohortantes properarunt et confluerunt, uti fore praedixit Isaias cap. ii, 2, et Micheas cap. iv, 2. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Vatablus et alii passim.

**21.** ET VADANT HABITATORES, UNUS AD ALTERUM, DICENTES. — Ita Romana, sed Ribera legendum censet: *Et vadant habitatores unus, scilicet civitatis, ad alteram; idque clarius videtur et convincitur, itaque habent Hebraei.* Unde et Septuaginta vertunt: *Et congregabuntur qui habitant civitates in unam civitatem, dicentes;* et Chaldaei: *Et ibunt unus incola cum alterius urbis habitatoribus, dicentes: Euntes eamus orationem Domini.* Hoc verum fuit in Jerusalem, verius in Ecclesia. Sic videmus in Italia integros pagos et oppida turmatim Laetrum conflere, ac se invicem cohortari ad visitandam et venerandam sacram illam eadem B. Virginis miraculo ab angelis eo ex Judaea translata, in qua ipsa salutata ab angelo Filium Dei concepit, et Verbum caro factum est.

ET QUERAMUS DOMINUM EXERCITUM. — Chaldaei: *Queramus doctrinam a Domino.*

VADAM ETIAM EGO. — Est vox unius civitatis et populi, vel hominis ad alterum; dum enim eum invitat, ac dicit: « Eamus et deprecemur faciem Domini, » etc., stimulum ei addit, subdens: « Vadam etiam ego, » q. d. Ego adeo hinc profectio, tibi que in ea non deero, ut omnino ve-

Quatuor de causis instituta.

Primus.

Fleta Hebraeorum jejunia.

Secunda.

Tertia.

Quarta.



